

## De aetate Lucretii.

---

De tempore Lucretii poetae quaestiones a uiris doctissimis Hermanno Vsener huius Musei uol. XXII p. 444 XXIII p. 679 Hermanno Sauppe in indice scholarum Gottingae per semestre aestiuum anni 1880 habendarum Friderico Polle in Philologi uol. XXVI p. 560 sedulo iam tractatas retractare dum audeo, ideo me totam illam annorum computationem denuo suscepisse profiteor, quod codicum scriptura uno loco recte repetita, quae ab omnibus adhuc uiris doctis neglecta fuerit, tota numerorum ratio recte mihi stare uidebatur neque quidquam neque apud Hieronymum neque in illo quod Vsenero debetur testimonio mutari oportere calculis recte positis putauit posse euinci. Itaque quo breuior et magis dilucida fiat disputatio mea, omnia illa quae a uiris doctis eis quos nominaui de uita Lucretii statuta sunt denuo percensere nolui, singula singulis locis recte ab illis exposita in meam disputationem intuli, quandoquidem omnia quae de fastis Lucretianis disputaturus sum, irrita erunt, si de uno illo quem significaui loco non recte iudicaui.

Vetus fuit Romae ut carmina parum adhuc diulgata uel defunctorum amicorum uel si quorum aliorum probassent, diligentius retractarent atque etiam ceteris nota facerent: carminum Lucretii defuncti patronus exstitit M. Cicero auctore Hieronymo ad annum Abrahae 1922: *Titus Lucretius poeta nascitur qui* (quod uocabulum et codicum auctoritate et stili Hieronymiani consuetudine probatum uulgo male omittitur) *postea amatorio poculo in furorem uersus cum aliquot libros per interualla insaniae conscripsisset quos postea Cicero emendauit, propria se manu interfecit anno aetatis XLIIII.* Difficillimum est ex Hieronymi uerbis Suetonii sententiam recuperare saepissime ab illo aut male intellectam aut inprobe decurtatam: tamen ex uerbis *aliquot libros* facile agnoscimus auctorem tradentem, scripsisse poetam non tot quot proposuisset libros poematis de rerum natura, cum per insaniam manus sibi adtulerit. Neque de illa de insaniam poetam narratione ambigemus Tassonis et Hoelderlinii memores, quam-

quam miramur poetam ipsum cum *per interualla insaniae* librum III scriberet, morbi istius meminisse u. 826

Adde furorem animi proprium atque obliuia rerum

Adde quod in nigras lethargi mergitur undas.

Vtrum denique M. Cicero uir consularis ipse carmina Lucretii emendarit an per Tironem libertum uel seruum emendandos curauerit, diiudicari iam nequit: sed nihil aliud praestitit nec debuit praestare ille, qui librum Lucretii manu scriptum legit et emendauit ita ut iam describi posset, quam quod Statilius Maximus Nicomachi Mauortius alii qui eodem officio functi sunt et gratias agere debemus Ciceroni poetae, quod nihil de suo Lucretii carminibus addidit: quod nonnulli qui de hac re scripserunt flagitare uidentur. Poemata uero illa de quibus Marcus ad Quintum fratrem epistola II 11, scripsit me iudice carmina sunt poetae ipsius manu exarata: neque enim ad milia uersuum fere octo legenda emendanda disponenda describenda suffecisse putauerim paulo amplius tres menses.

Decessit enim T. Lucretius Id. Octobr. anni u. c. 699 a. Ch. 55. Quod Aelius Donatus in uita Vergilii tradidit auctore Suetonio p. 55 editionis Reifferscheidii: *Initia aetatis Cremonae egit Vergilius usque ad uirilem togam, quam XV anno natali suo accepit isdem illis consulibus iterum duobus quibus erat natus euenitque ut eo ipso die Lucretius poeta decederet. Cremona Mediolanum et inde paulo post transit in urbem.* Atque natus quidem fuit Vergilius Id. Octobr. Cn. Pompeio Magno M. Licinio Crasso coss. a. u. c. 684 a. Ch. 70: quibus iterum coss. id est a. u. c. 699 a. Ch. 55 decessit Lucretius Id. Octobr., quo die Vergilius togam uirilem sumpsit. Sed priusquam de aetate Lucretii disputare pergam, haec subiciam quasi fundamenta disputationis, quibus nisus rem expedire conabor: primum iam apud Suetonium fastos Vergilianos cum Lucretianis artissime consociatos fuisse, deinde Hieronymum in calculis ad Vergilii uitam pertinentibus sequi Donatum, praeceptorem suum, quem Romae sese audiuisse et cuius in Vergilium commentarios sese nouisse dicit contra Ruf. I cap. 16: conf. O. Zoekler in uita Hieronymi p. 27: tum in Hieronymi numeris computandis optimos et uetustissimos tantum sequendos esse libros *A*mandinum A et Bernensem B saeculi VII utrumque. Nam si reliqui codices tibi eadem erunt auctoritate qua illi, uereor ut ratio stare possit. Accedit quod de anno quo Vergilius mortuus sit anno Abrahae 1999 omnes consentiunt codices praeter

unum Freherianum omnium deterrimum, qui anno 1998 auctor est poetam decessisse.

Ea igitur quae Hieronymus de Lucretii fati tradit adscripta sunt anno Abrahae 1922 in codice A, anno 1923 in B et in reliquis codicibus: neque enim magni facio quod Freherianus F in hac quidem re cum A consentit. Decessisse uero poetam secundum Hieronymi calculum anno aetatis *XLIIII* codicum consensus euincit. Ratio Hieronymi peruersa fuit, summa annorum ducta uitiose: sed, qua de causa omnes has quaestiones retrahendas suscepi, demonstrari etiamnunc potest, quoniam modo non solum Hieronymus, sed etiam alii, inprimis praeceptor ipse Donatus errauerit. Neque enim numerus iste annorum *XLIIII* ab Hieronymo de fastis consularibus deductus esse potest: nam Hieronymus sine dubio a Donato acceperat eodem die Lucretium obiisse, quo Vergilius togam uirilem sumpserit ideoque mortuum poetam esse ponit anno Abrahae 1964, ad quem annum secundum codices optimos AB haec adscripsit: *Vergilius sumpta toga Mediolanium transgreditur et post breue tempus Romam pergit*. Codicibus AB hic consentiunt MF, reliqui duo PR haec uerba ad annum 1963 exhibent adposita. Interuallum autem inter annum 1922 Lucretii natalem et annum 1964 est annorum *XLIII*, licet poetam ineunte anno 1922 natum, mortuum fuisse Id. Octobr. 1964 statueris ut bis partem anni maiorem pro anno solido numeres. Neque tamen ulla ratione impedimur quominus in anno Lucretii natali codicem A potius sequamur quam B: quem in tot numerorum turbis consentire cum A de Vergilii anno natali id est 1948 Abrahae reliquis discrepantibus summopere gaudemus.

Sed quo facilius Hieronymi calculos dispicere possis, tabulam annorum qualem ex optimis codicibus restituumus, contemplare quaesumus neque miratus sis quod commoditati legentium consulentes annos u. c. et olympiadum omisimus adiungere. Annos uero Abrahae ad eum qui uulgo fertur incarnationis terminum redegimus ut anni ante Christum natum numerentur, secundum praeceptum Alfredi de Gutschmid in Iahnii annalibus 95 p. 684 et in indice scholarum aestiuarum Kiliae anno 1868 edito p. 27 propositum.

Lucretius nascitur 1922<sup>1</sup> a. Ch. 95 (AF)

Vergilius nascitur 1948<sup>2</sup> a. Ch. 69 (AB)

<sup>1</sup> 1923 reliqui.

<sup>2</sup> 1947 PRM, 1946 F.

Lucretius moritur 1964<sup>1</sup> a. Ch. 53 (ABMF)

Vergilius moritur 1999<sup>2</sup> a. Ch. 18 (ABPMR)

Iam apparet in Vergilii annis et natali et fatali Hieronymum eodem modo errare, quo Ennium poetam anno Abrahae 1849 a. Ch. 168 perperam tradit mortuum esse: consulum enim nominibus seruatis scimus Ennium mortuum esse a. Ch. 169, Vergilium anno a. Ch. 19, natum esse Vergilium anno 70. Sed si recte statuimus fastos Vergilianos artissime cum Lucretianis fuisse coniunctos, non solum annos Vergilii et Ennii, sed etiam Lucretii eodem modo corrigemus et laterculum ita constituemus:

Lucretius nascitur anno a. Ch. 96

Vergilius nascitur anno a. Ch. 70 Id. Octobr. Pompeio et Crasso  
coss.

Lucretius moritur anno a. Ch. 54 Id. Octobr. Pompeio et Crasso  
II coss.

Vergilius moritur anno a. Ch. 19 XI Kal. Octobr. Sentio et  
Lucretio coss.

Annus 54, quo Lucretium mortuum esse Hieronymus tradit, aperte repudiatur ab Aelio Donato, qui Pompeio et Crasso iterum coss: id est anno 55 a. Ch. Id. Octobribus poetam decessisse testatur. quod uerum esse epistola illa Ciceronis in frigore hiemis anni 55/54 scripta probatur. Sed si annum Lucretii fatalem supra dimoueris apud Hieronymum, multo minus XLIIII annorum numerus stare poterit. Qui numerus iure tibi erit suspectus, si memineris qua ratione Hieronymus annos aetatis Lucilii aliorum computauerit. Sed demonstrari posse dixi, quonam modo numerum annorum XLIIII duxerit: quae summa annorum composita est scilicet ex eis annis, quibus Lucretii dies natalis natalem Vergilii antecedit adiuncto eo annorum spatio quo aequales fuere. Natus est Vergilius Id. Octobr. anni a. Ch. 70: togam uirilem sumpsit Id. Octobr. anni a. Ch. 55 anno aetatis XV, ut uulgo fertur. Cum uero illo die fatali Lucretii Vergilius annum XV expleuisset, non dubito quin Donatus scripturus fuerit *anno aetatis XVI*, si recte annos computasset. Sed errauit Donatus, unde et Hieronymus et multi alii errauerunt. Nam ille inter duos illos consulatus Pompei et Crassi, id est inter Vergilii diem natalem et inter diem supremum Lucretii interesse putauit annos XVI. Codices enim uitae Vergilii Parisinus et Bernensis exhibent illo loco

<sup>1</sup> 1963 PR.

<sup>2</sup> 1998 F.

*XVII anno natali suo, Sangallensis VII anno aetatis suae, qui numerus quomodo ex XVII factus sit facile apparet, quomodo XVII ex XV, nullo potest explicari pacto. Recte uero errorem istum Donati in codicibus uitae Vergilianae traditum esse, manifestum fit ex fastis Hieronymi, ubi interuallum inter Vergilii annum natalem Abrahae 1948 et eum quo togam uirilem sumpsit 1964 id est inter annos a. Ch. 70 Id. Octobr. et 54 Id. Octobr. annorum est XVI. Porro eundem errorem computationis in Donati schola propagatum haud scio an agnoscere liceat in duobus epigrammatis anthologiae Latinae 560. 566 Riesii, ubi Vergilius anno aetatis LII dicitur obiisse, etiamsi satis constat ei mensem fere unum defuisse ad annum aetatis LI explendum. Quomodo uero factum sit ut Donatus ita errauerit, equidem nolo multus esse in explicando: nam tali modo sexcenties ex fastis consularibus numeri perperam deducti sunt. Tamen iuuat monere duo paria consulum in fastis ad annum u. c. 689 a. Ch. 65 fuisse adposita: quorum prius habet chronographus anni p. Ch. 354 *Sulla et peto*, qui ambitus damnati non inierunt, posterius fasti Hispani et Siculi *Cotta et Torquato*. Satis est autem demonstrasse Donato et Hieronymo auctoribus Lucretium anno XVII post natum Vergilium decessisse: quem errorem ex illo duplici numero consulum ad unum annum adposito oriri potuisse nemo negabit.*

Inuenit autem Hermannus Vsener in codice quodam Monacensi glossas nonnullas ad aetates poetarum Latinorum pertinentes, quas edidit musei Rhenani uol. XXII p. 444 uir doctissimus: de quibus summi momenti sunt ad nostram causam peragendam haec: *Vergilius natus est ante incarnationem domini anno LXX. moritur anno XVII.* deinde: *Titus Lucretius poeta nascitur sub consulibus anno XXU. II ante Vergilium.* Suetonii studiis haec omnia deberi sicut illa quae de Vergilio et de Lucretio Donatus et Hieronymus tradidere facile tibi persuadebis: neque tamen ex Suetonii ipsius libro de poetis ea deducta esse possunt quoniam incarnatio domini memoratur neque ex Hieronymi codice quodam propter uerba *sub consulibus*. Veri simillimum mihi uidetur glossas illas sumptas esse de fastis consularibus quibusdam id genus qualia sunt Cassiodorii chronica et chronographi anni 354 pars VIII in Theodori Mommseni editione dissertat. societ. reg. Saxon. litter. 1850 I p. 658 quod dicitur chronicon Cuspinianum: ubi ad annum ante incarnationem XVII *Saturnino et Cinna* coss. 735 u. c. 19 a. Ch. haec adnotata leguntur: *his consulibus moritur Virgilius annorum LX.* Annum uero Vergilii natalem, quem

LXX ante incarnationem fuisse falso scribit glossographus, corrigere noli: qui error potest esse librarii, potest glossographi in annorum computatione labentis: fieri denique potuit ut fasti, quibus usus est, confusi fuerint aut conturbati in illis annis, quos computauit.

Itaque secundum glossam illam Lucretius XXVII anno ante Vergilium nascitur: adde quod Donatus et Hieronymus tradunt Vergilium anno aetatis XVII togam uirilem sumpsisse eodem die quo Lucretius poeta mortuus sit. Annis igitur illis XXVII adde hos XVII et habebis summa recte ducta annum aetatis XLVIII quo Hieronymus Lucretium diem supremum obiisse scripsit. Nihil ergo mutandum est in tribus istis numeris codicum auctoritate qui nituntur. Neque illud quod traditur anno XXVII ante Vergilium natum esse Lucretium cum Hieronymi calculis non consentit. Nam Vergilius natus est Id. Octobr. anno Abrahae 1948 (70 a. Ch.), Lucretius anno 1922 (96 a. Ch.) secundum Hieronymum. Quodsi Lucretius natus est pridie Id. Octobr. anno 1922, anno XXVII ante Vergilium natus est: atqui nihil impedit quominus poetam ineunte anno 1922 = 96 a. Ch. natum fuisse ponamus. Annum natalem Lucretii una cum annis Ennii et Vergilii ut ueros annos nanciscamur uno anno supra mouendos esse mea sententia, supra pluribus exposui. Itaque natus erit Lucretius anno u. c. 658, a. Ch. 96 ineunte, secundum Hieronymum anno a. Ch. 95, si anno 69 a. Ch. natum sumpseris esse Vergilium. Nam fastos Lucretianos cum Vergilianis consociatos esse ita ut inter se separari nullo pacto possint, iam supra monui. Lucretius anno aetatis XLII mortuus est, si ante Id. Octobr. anni 96 natus fuit: summa illa XLVIII annorum recte in codicibus omnibus tradita ex errore Hieronymi et Donati nata esse existimanda est; quem errorem si quis iam a Suetonio commissum fuisse iudicauerit, ego quidem non repugnabo. Quomodo natus sit error iste, numeris XXVII et XVII e codicibus repetitis, supra mihi uideor demonstrasse.<sup>1</sup>

Berolini.

Fridericus Marx.

<sup>1</sup> Acceptissima uero Enniana Lucretii poesis fuisse putanda est Ciceroni: neque enim fautor fuit Cicero τῶν νεωτέρων quos ita appellauit ad Attic. VII 2, 1 uersus Aristophanis Nub. 1370 λέξον τι τῶν νεωτέρων ἄλλ' ἐστὶ τὰ σοφὰ ταῦτα fortasse memor. Quodsi recte statui, illo loco significauit sibi prae Cinnae incesto epyllio non sordere Ennii annales, at contra Phidippides Aristophaneus illo loco contempto Aeschilo Euripidis Aeolum fabulam incestam canere mauult. Aristoxenus scripsit teste Ammonio de differentiis τραγῳδοποιῶν περὶ νεωτέρων.